



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

Raemond, Florimond de

Coloniae Agrippinae, 1655

IV. Calvinistica Ecclesia nullos agnoscit Doctores.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10880

vlla eius in omni Antiquitate vestigia appareant videamus.

IV. Officia Ecclesiastica apud Calvinianos tripartita fere sunt, Ministrorum, Seniorum, & Diaconorum. (e) Quibus apud Geneuenses quartus ordo fuit additus, nempe Doctorum: qui tamen vnà cum doctrina iam pene euauit; nisi forte inuisibiles illos facere velis Ordinario certe loco olim ipsis designato, iam moti sunt. Atq; ò Calvinista, si vestra ecclesiae exemplum à primitiua illa sumere voluistis, Doctorū sane nomen & munus tollere non debuistis, qui omni tempore in Ecclesia fuerunt, vt Innocentius Papa testatur. Quin etiam ipse D. Paulus Apostolus inter diuersas functiones à Deo in Ecclesia institutas Pastores & Doctores nominat. Non ego tamen Doctorum munus non omnibus in locis, sed in quibusdā tantum Ecclesijs aorum atque vltatum fuisse, illis nimirum, vbi antea vel Iudæi synagogas, vel pagani scholas suas & litterarum gymnasia habuerant. Ecclesiastica Historia Alexandrinæ Scholæ mentionem facit, post S. Marci Euangelistæ tempora instituta; vt & Doctorum in ea, Clementis, Origenis, & aliorum; nec non Cæsareanæ, cuius S. Basilii & Gregorius Nazianzenus alumni fuerunt: itemque Antiochenæ & Epheusæ. Curopalates Græcus Auctor, vbi de Constantinopolinæ Ecclesiæ Officiarijs scribit, SS. litterarū Doctores eis adscribit. Est vero hæc inter Pastores & Doctores differentia. Illi Ecclesijs, hi Scholis præsent. Illi Theologiam practicam; hi theoreticam & Scholasticam profitentur. Pastorum munus est Theologiam in politia Ecclesiarum suarum in opus deducere; Doctorum, explicare & docere. Illi Sacramenta administrant & animarum curam gerunt; hi Theologiæ arcana rimantur. En vobis antiquæ ac primitiua illius Ecclesiæ politiam atque ordinem, vestra omnino dissimilem: quæ nihil ex illis prisca Ecclesiæ exercitijs retinere voluit, eo, vt Lunnaius loquitur, quod Ministri vestri diabolo nequam aduersantur.

V. Sed porro videamus, quam misere Calviniani omnia confundant. Ministri concionibus ad populum habendis vacant, administrant Sacramenta, & summam in Ecclesia habent auctoritatem ac potestatem. Sed vt nulla vnquam inter hæreticos ac schismaticos in doctrina fuit concordia; sic ijdem quantum ad Ministrorum nomē ac munus, immane quantum inter se dissident. Germani enim eos qui Ministerij funguntur munere, Psal-

terum appellant, id est, Pastores: alios, Superintendentes, qui vmbra quandam Episcopalis dignitatis retinent: qui tamen apud Gallos & Heluetios nullo alio, quam Ministrorum, nomine censentur. Ijdem à Valdensibus olim, quorum nonnulla adhuc exstant reliquæ, Barbi appellati sunt. (f) Angli vero etiamnum suos Archiepiscopos, Episcopos & Pastores habent. Sed nobis de nostris tantum in Gallia Calvinistis sermo erit: qui Ministri Euangelij dici volunt. At ò boni, in primitiua Ecclesia Ministri fuerunt, qui vilia tantū (etsi in Ecclesia nihil vile cenferi debet) vel simplicia ministeria obibant; apud vos vero illi vestri Ministri aliorum sunt Domini, & sub seruitutis nomine imperant alijs, missoque titulo, pēdum nihilominus retinent, & imperium in alios exercent. Sed qui Ministros nobis melius describat quā Cayerus, inuenio neminem, vt qui tam diu apud Calvinistas Ministri munus obicit, magnoq; in precio ob eximias animi dotes fuerit. *Tria, inquit, Ministrorum genera vniuersim reperio. Primum est eorum, qui omnibus animi viribus in litterarum studia incumbunt; eo quo nihil fere aliud curant aut expetunt quam librorū copiam. Secundum genus est eorum qui in litterarum studijs non tam anxie versantur, sed magis rei faciunda ac familia aliquanto lautius alenda inuigilant. Tertio sunt illi acerrimi disciplina exactores, qui cælum terra miscant, neque vnquam quiescunt, quibus etiam Gallia nostra omnes calamitates ac miseriae quas hactenus passa est, & adhuc patitur, & porro patietur, nisi sibula illis ponatur, ne se omnibus rebus immisceant, acceptas debet. Hi magnarum domuum sunt exploratores, impudenter se ingerentes; secreta omnia rimantes ac detegentes, ac dissidia inter familias accendentes atque alentes: homines magna ex parte aut omnino indocti, aut semidocti. Hac Cayerus.*

VI. Vbi quis inter Calvinianos Ministerij ambit munus (cuius spe plerumque iuuenes disertulos aut alia aliqua dote insignes inescant) siue vltro, siue ab alijs persuasus, in Consistorio, præsentibus Ministris & Senioribus (qui vt plurimum ex opificum sunt numero, litteraturæ expertes) Propone-re aliquoties iuberet; tandem vero ad Colloquium admittitur. Sed inquis, quidnam rei est illud Proponere? Dicam. Datur ei caput aut versiculus aliquis ex Biblijs, ac plerumque argumenti facilis ac vulgati. Ibi ille super ea re sermonem vulgari sermone habet, ac tantum quantum potest,

Rt 3

expli-

e Ord. Geneu pag. 2. & 8. f. Vid. Sos. cont. prole. Breuis ij Coch. in sept. Lutb. cap. 45.